



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Alexandro Episcopo Thessalonicensi imposita à patribus Concilij Nicæni cura deferendorum decretorum synodi in provincias Illyricianus; ut testantur Gelasius Cyzicenus & vetus auctor apud Photium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

stolorum, quæ adhuc suis locis in memoriam Apostolorum præfiderent, successoribus infrà sedentibus, ita verum illius sensum esse putat, cathedras Apostolorum dici principales Ecclesias, ab ipsis videlicet Apostolis consuetas, quæ adhuc ætate Terulliani suis locis præfidebant, tanquam aliarum matrices; qualis in Achaia, Corinthus; in Macedonia, Philippi, Thessalonica; in Asia, Ephesus; in Italia, Roma.

III. Ex ea matricis dignitate profectum est ut cum in Concilio Nicæno adesset Alexander Episcopus Thessalonicensis, cogitarentque patres de mittendis per univèrsium orbem definitionibus sanctæ & magnæ synodi, sicut Ecclesias Africanas ab Episcopo Carthaginis, qui totius Africæ Metropolitanus erat & Primas, informari voluerunt, ita Macedonibus, Græcis, Scythis, Illyriis, Thessalis, & Achæis insinuari curarunt per Alexandrum Thessalonicensem, ut testatur Gelasius Cyzicenus. Testatur id ipsum etiam vetus auctor Politicæ sanctorum patrum Metrophanis & Alexandri apud Photium; si tamen locus ille, qui mendo laborat, emendetur, eaque Alexandro Thessalonicensi tribuantur quæ Alexandro Constantinopolitano heic tribuuntur. Nam in hoc libro legitur Osium Cordubensem synodi acta detulisse occidentalibus, Athanasium Ægyptiis & Libyis, Alexandrum verò Thracibus, Illyriis, Macedonibus, Thessalis, Achæis, & Græcis, continentibusque terris, & insulis. Præstat autem integrum locum referre, ut etiam ex eo capite auctoritas concilietur huic Gelasij loco. *Et Hosius quidem Cordubæ Episcopus, inquit, cum sociis quæ in Concilio gesta erant ferens, occidentalibus pacem ac quietem attulit; Athanasius zelo ardens Ægyptiis & Libyis; Alexander verò, quanquam senex, septuagenarius enim erat, Thracibus simul & Illyriis communionis pacisque Ecclesiarum nuntium, ut prescriptum erat, tulit, socium itineris habens beatissimum Paulum, tunc lectoris & subscriptoris Constantinopolitane Ecclesie fungentem officio, qui tempore Concilij duodecimum ætatis annum agens cum Alexandro vixit. Et paulò post: Venientes autem in Thraciam & Macedoniam & Thessaliam, Achaiam totam, Hellada, continentisque terras, ne insulas quidem neglexerunt; sed navigando omnem Hæzaniam radicibus evellentibus, bonum semen evangelicæ doctrine & synodaliū decretorum disseminarunt. Quis non videt heic descriptas provincias Thessalonicensi Episcopo subjectas, non omnes quidem nominatim expressas, sed præcipuas tantum, reliquas verò sub vocabulo continentium terrarum & insularum?*

IV. Reliquum est ut etiam Gelasij Cyziceni locum heic describamus, ut eruditus

lector comparare illum possit cum loco ex Politia laudato. Sic ergo loquitur hic auctor: *Alexander Thessalonice Episcopus per eos qui sub ipso censentur, Ecclesiis in Macedonia prima & secunda, cum iis quæ in Grecia & Europa tota, in utraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Thessalia, & Achaia. Tum in fine capituli hæc generaliter adduntur: Hi omnes sancti atque apostolici viri omnibus sub caelo sanctis Dei Ecclesiis quæ in Nicæna sancta magna & generali synodo decreta sunt transmittentes, ubique tradiderunt. Non me latet viros eruditissimos in diversum trahere hunc Gelasij locum, ac de simplici ministerio explicare quod Alexandro commissum fuerit à synodo, ut juxta se positis provinciis insinuaret quæ acta & decreta in Concilio fuerant, neque hinc colligi posse jurisdictionem aliquam habuisse Thessalonicensem Episcopum in provinciis illic enumeratis; idque vel ex eo probant, quòd ea cura Alexandro committitur etiam in Europa & Scythia provinciis Thraciarum, in quibus nullum unquam jus fuit Episcopo Thessalonicensi, utpote quæ sitæ essent extra Illyricum. Sanè fatendum est verba Gelasij non esse manifesta. Nam cum ita intelligi possint ut dicatur ea cura Alexandro imposita tanquam Metropolitarum omnium illarum provinciarum, ita certum est capi quoque posse de nudo illo ac simplici ministerio, præsertim cum illic videamus similem curam quoad alias quasdam provincias impositam Macario Hierosolymorum Episcopo, & Protogeni Sardicensi, quos tamen constat provinciarum illarum Metropolitanos non fuisse. Ita etiam explicari potest hic locus, ut dicere voluisse videatur Gelasius Alexandrum Thessalonicensem in synodo tenuisse locum eorum Episcoporum qui per eas provincias sub ipso censentur. Sed utcumque se res habeat, colligi hinc certè potest magnæ dignitatis per illa tempora fuisse Episcopum Thessalonicensem, cui ea cura delegatur per tot provincias; seu id factum fuerit in consequentiam jurisdictionis quam ille obtineret in eas provincias, ut existimat vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspeliensis, seu extraordinaria quadam delegatione. Vnde & Innocentius III. instaurationi privilegiorum Ecclesie Thessalonicensis intentus, ita scribit ad G. Thessalonicensem Archiepiscopum: *Licet autem præfatus antistes satis profecto fuerit ex Ecclesie suæ dignitate conspicuus, magis tamen utique fuit ex apostolice sedis familiaritate præclarus.**

V. Quòd si quis isto Gelasij testimonio, utpote hominis à vero frequenter aberrantis, utendum non esse putat, adeòque nul-

Concil. Carthag. v. 1.
Concil. CP. 1. 1.
Collat. v.

Gelas. Cyzic. lib. 2. c. 17.

Apud Phot. in Bibliothec. cod. 156.

Boisquetus lib. 2. c. 17. p. 11.